

conderet ut populo ipse suo solatia tanta,  
qui tam sollicitè descripsit schema Prophetæ,  
quem Pater exciturus erat de semine fratrum,  
cui maiestatem, cui insignia iura daturus,  
ut, quisquis nollet decreta facessere, quisquis  
64. non conformaret verborum ad dicta sequacem,  
hunc Pater omnipotens puniret verberè duro,  
& primis etiam valvis prohiberet olympi.

Omninò hæc nôras rigidæ trux incola Bethlæ,  
namq; oculos interq; manûs oracula vestras  
cottidie hæc fuerant, dum singula sabbata lectus  
per Synagogarum resonabat pulpita Moses.

Ecquis erat Jesus, Jesu qui visus in agro,  
72. balsamei frutices quo stillavere, rosæq;  
germine purpureo rutilum sparsere colorem?  
Quis, nisi Venturus justis Dominator in armis?  
Nempe Gigas geminæ naturæ & duplicis ævi.  
Ille necaturas, hostilia spicula, sagittas,  
ille truces gladios fregit, totamq; Satânæ  
progeniem, & quodcunq; veneni eructat Erinnyis,  
& latus adversum necopino contudit ictu.

80. Quid memorem Gedeona ducem, cui vellera sicca,  
matutina dat irrorans reliqua omnia tellus,  
cui vice conversâ dat terra madentia sicca  
vellera lanarum, signans nisi virginis alvum,  
quæ tibi, Bethla, daret salvo Sotera pudore,  
in bibulo nostræ celatum vellere carnis?  
Hanc etiam fragilis signabat testa, sed ardens  
tæda dedit superi capiendum Numinis ignem.

88. Grande supercilium Bethlæ si fortè Menassen,  
trituræq; manûs & rustica sarcula spernas;

Da-